

SERENISSIMIS PP. PRINCIPIBVS

CAROLO ET FERNANDO GONZAGAE, CAROLI

Inuictissimi Principis Niuernensium Ducis serenissimi, &c. Filiis, Rethelensium & Mayennensium Ducibus Illustrissimis, Ἀθανασίαν.



VERERER sanè (Principes Serenissimi) *cùm musica in luctu importuna sit, necetiā inter recentia funera & exequiarū pompas, Medicina videretur ingratior si intempestiuè sese ingereret & Æsculapium temere deploratus inferret parcarum laboribus: nisi me viuida amborum virtus confirmaret ad audendum, suaderétque anxio mihi eos nullatenus obiisse, quorum maxima pars superstes in vobis vitat Libitinam, & quorum præclara animi decora non minùs in æmulis fratrum sideribus fulgent quàm honorum tituli & insignia dignitatis. Ad vos igitur, ô sacræ Niuernensium delitiæ, ô conspicua Galliæ nostræ lumina, ad vos inquam etiam nostræ recurrunt artes non subsidium aliquod allaturæ sed testaturæ affectum & impetraturæ medelam. Miramini forsan quòd illæ quæ passim omnibus salutem (quantum mortalibus licet) solent impertiri, etiam illæ suas ægritudines sentiant, & earum à vobis leuamen expectent. Ita est profectò, longè maximus Medico morbus est, in obscuro latere & nesciri, ac vt dicam verecundiùs acerbissimus ille est ingenuæ facultati dolor aliis labore & industria prodesse non posse, cùm possit, nec exiguum est mihi illud mœroris genus spirare liberum diem, nec ius liberum donare respirandum, quorum incolumitati me deuouere donum putarem: ad quos igitur meliùs confugerent artes nostræ vt è tenebris obscuræ obliuionis in lucem erumpant, quàm ad gemina illa Galliæ & Italiæ sidera, quàm ad vnanimes illos Tyndaridas, quos ego meliori iure geminum Martis sidus aut ex sole Parente παρηλίους dixerim, nisi ingeniosæ animi dotes eruditos Apollines antea nominassent: Ex eorum igitur radiis licebit vt opinor mihi beneficium illud sperare quod astra nemini negant, quamuis immerenti, & quod liberaliter donando retinent, & cuius amittendo prouehunt incrementum. Licebit inquam aliquem ab illis splendorem nobis vltrò polliceri, & ab illustribus tantorum Principum insignibus, aliquam obscuræ concertationi lucem, & præsentissimum ægris artibus pharmacum deriuare, ab aquilis quidem perspicacem mētis aciem ac sublimem volatum, à liliis floridam in dicendo vbertatem, ab oliuæ fructibus, vmbratile pugilum eruditorum robur, à palmæ lemniscis eruditæ victoriæ palmas, à coronis denique coronas implorare quamuis vestris inferiores. Cæterum adnata illa diuinitus insignibus vestris imperiorum sceptra, quæ fortuna nondum concessit, ea vobis bellica virtus acquiret & prudentia conseruabit, sicut & sublimem altiùs Olympum vt pridem meruistis, eriget solis aquilis vestris peruium, mihi quidem abunde erit, posse in ima montis radice facultatis meæ vobis deuotæ subsidia legendo tantæ dignitatis fastigium cernere, & religiosiùs venerari.*

Vestræ Excellentiæ obseruantissimus C. LE DOVESNE.

QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis disputationibus agitanda in Anthonianis Medicorum Remensium Scholis, die 3. Decembris, Præside clarissimo viro D. PETRO LE COMPER Doctore Medico, & Professore Anthoniano, hora octaua matutina.

55

An Apoplexiæ phlebotomia?

VASORVM dignitas nulla, officium maximi est momenti, vt si contractione, & subsidentia, coalescentia, constipatione, obstructione, constrictione aut compresione interpellatur, damna consequantur non leuia, febres putridæ, icterus niger & flauus, suspirium, hydrops, mensium suppresio, voluulus, asthma, angina, epilepsia, apoplexia, coloris denique suffocatio, quot symptomata, tot pericula, quæ vel morbi diuturnitate sensim & sine sensu vires depopulantur, vel repentinâ functionis ad vitam conducentis interceptione, funestisima clade ægrum percellunt.

APoplexia mortis æmula, in cerebrum animæ rationalis sedem nobilisimam inuehitur, rationis lumen obscurat, imaginationis species confundit, sensus communis iudicium corrumpit, motum & sensum penitus adimit, respirationis denique libertatem intercipiens repẽtino impetu ægrum prosternit. Hæc spirationis difficultas non in omnibus vna, sed diuersa apoplexiæ distinctionem induxit, alia enim ab Hippocrate fortis, alia debilis dicitur, apoplexiæ fortis triplex à Galeno asignatur differentia, alia enim cum respiratione ad sensum abolita, alia cum sensibili quidem sed laboriosa, tertia cum sensibili facili, sed inæquali, debilis verò in qua respiratio non solùm facilis, verumetiam æqualis animaduertitur.

VENTRICVLORVM cerebri intercepta libertas animalis facultatis radios cohibet, & densisimâ caligine subditas partes circumfundit, prohibetur autem obstructione & compresione, hanc quidem sanguis vberior accelerat, qui in cerebri arcem vberiùs influens, suo pondere ventriculos demittit, illam verò crasior frigidiórque pituita, terrena melancholia, bilis permixta, alimentorum vbertas ingenerant: horum siquidem densisima anathymiasis ventriculos obstruens apoplectico sopore ægrum deuincit, quem à cæteris soporosis affectibus distinguere laboriosum est. Epilepsia conuulsione lacesit, apoplexia motus priuatione terrorem incutit. Syncope pulsu languido Medicũ terret, apoplexia pleno & valido in spem futuræ salutis erigit. Vteri præfocatio sensuum functiones non omnimodè adimit, apoplexia perimit, carus denique & catalepsis respirationis facilitate vitalem facultatem recreant, apoplexia verò eiusdem læsione vitale robur obtundit.

APoplexiæ fulmine perculsus nullis ferè mali indiciis totus repente corruit, atque reseratis oculis si grauisimum malum est, sine sensu & motu prouolutus iacet spumâ conspurcatus solo stertore à morte dissidens. In hac tanta corporis perturbatione quid agas? prostratum & pene mortuum reuocare tentabis: Tentabis verò si vel exigua salutis spes affulgeat, pulsus æqualitate, febris exortu, hæmorrhoïdum fluore, deglutitionis facilitate, sanguinis vel muci è naribus reiectione percepta, contra verò illos qui benè valentes capitis dolore repente corripiuntur & statim muti fiunt & stertunt, nisi febris aduenerit septimo die morituros pronuntiabis.

APOPLEXIAM fortem nullo prorsus modo, debilem ægrè curaueris; illam non attingere prudentis est Medici, hanc verò expeditis remediis quamprimùm propulsare sagacis est ingenij, imprimis autem iniecto clystere aluus emollitur, fæces deturbantur, æger agitatur, concutitur, asperâ frictione reuocatur, ligaturis arctisimis, potionibus attenuantibus, pillulis dissolutis stagnantes in cerebro humores commouentur, attenuantur & in subditas partes reuocantur maximè verò sanguinis emisione ex vtriusque brachij cephalica ad reuulsionem, è iugularibus verò ad deriuationem celebrata, illa enim humores qui aut peccant in venis, aut ex iis affatim defluunt aut partibus adhærescunt educendo morborum ex plenitudine proprium accommodatúmque fit remedium, nam qui ab inanitione eueniunt morbi satietate, qui à satietate, vacuatione curantur.

Ergo apoplexiæ phlebotomia.

Has Medicinæ assertiones (Deo dante) tuebitur Carolus le Doüesne Abrincensis Baccalaureus Medicus, Anno Domini 1622.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Simon Heruetus, Professor Anthonianus.
M. Nicolaus Abrahamus Frambesarius Regis Regiarúmque Turmarum Medicus.
M. Ioannes Coterius.
M. Ioannes Blanchebarbe.
M. Claudius Gillatius.
M. Andreas Oudet Decanus.
M. Ioannes Richeletius.
M. Nicolaus Rainssant.